

+ P. Philippus Brameyer  
(Vice-prov. Argentinae)

† R. P. Philippus Brameyer.

(*Vice-prov. Argentinae*).

Suum locum in his paginis obtinet P. Philippus Brameyer. Quae enim nunc «Analecta» animos nostros delectant, ea P. Brameyer diu in votis habuit, a Capitulis generalibus postulavit, tandem, antequam in pace Domini dimitteretur, oblata avidissime oculis devoravit.

Obiit Reverendus Pater ipso festo Epiphaniae Domini huius anni 1923, postquam in Congregatione annos 58 professionis, sacerdotii 51 complevit.

Natus est in oppido Warendorf provinciae Westfaliae, regni Borussiae. Sacerdos in Congregatione factus per duodecim fere annos clericos nostros philosophiam docuit, e quorum numero quosdam senex gaudens vidit post se aureum professionis iubilaeum celebrantes. Nec tamen philosophia

animum siccari passus est. Varios enim illo tempore edidit libellos, quibus fidelium pietas foveretur, unum ad cultum S. Alphonsi propagandum, alterum, quo suaviter mysteria Passionis Domini meditarentur fideles, tertium, quo inducerentur, ut quotidie s. missae sacrificio interessent.

Anno 1883 illis sodalibus aggregatus est, qui e Germania inferiore proficentes vice-provinciam Argentinam condituri erant. Deus solus

novit, quot curas aerumnasque perpessi sint illi viri locorum et linguae ignari, a suis semoti. Attamen P. Brameyer, fidelis Congregationis filius, et superiorem suum P. Ottomem Jörissen opera et consiliis fortiter adiuvit et incolis quam primum utilis fieri conatus est. Lingua hispanicam, si nitidam pronuntiationem excipias, probe didicit. Audivimus enim eum ad populum sine errore grammatico dicentem, quamquam antea pauca tantum cogitata, eaque germanice, in chartula notaverat.

Cum per sex annos fundandae vice-provinciae Argentinae atque primae eius domui in Buenos-Aires operam navasset, anno 1889 Montisvideum missus est, ubi Patri Barth in secunda domo stabilienda adisset. Montisvidei duobus annis exceptis usque ad a. 1907 permansit. Quo tempore magno studio in missiones incubuit, sodalitatem B. M. V. de perpetuo succursu direxit et conferentiae a S. Vincentio nuncupatae affuit. Cum ecclesia aedificaretur, P. Brameyer non solum inter fideles stipem collegit, sed etiam legatos legiferos adiit; quae res, cum omnium animi favere viderentur, ad extrellum tamen concidit. A. 1904 eiusdem domus Montisvideanae Rector renuntiatus templo aedificato tres campanas sonoras addere statuit, quarum expensas rara quadam audacia inter cives et peregrinos, catholicos et protestantes collegit.

Proximo triennio Saltam translatus est Rector. Ibi consilium cepit ecclesiam non iam exornare, sed novam a fundamentis erigere. Delineatione approbata et reperto architecto die 16 augusti a. 1908 aedificatio est inchoata. Tribus vix annis elapsis pridie festum S. Alphonsi a. 1911 ecclesia S. Patri nostro dedicata, benedicta et sollempni cultui tradita est. Est autem templum stilo, qui dicitur, romano cum tribus navibus constructum. Columnae ferreis trabibus constant inter se connexis, concameratio ferreis filis reticuli instar est effecta, quo fit, ut terraemotus, qui Saltae valde timentur, aedificio damnum non inferant. Templum nostrum inter omnes Saltae ecclesias dicitur esse pulcherrimum.



Mense novembri anni 1909 P. Brameyer Rectoris officium dimisit, sed subditus eiusdem domus usque ad annum 1919 remansit. Quibus decem annis, si ullo vitae tempore, confessarii laudibus abundavit. Omne tempus aut audiendis fidelium confessionibus aut aegrotis visitandis tribuit. Ex omnibus societatis ordinibus ad P. Brameyer confluabant sacerdotes, religiosi, nobiles, pauperrimi. Omnibus misericordem se praebuit, sive ad perfectionem tendebant, sive angustiis vexabantur, sive scelerum magnitudine opprimebantur. Aegrotos vero bis terque invisere solitus est, dum fracta cordis duritie ad Dei pedes prosternerentur. «Quem non converterit P. Philippus, religiosus quidam dixit; eum frustra aggredientur ceteri». Denique in confessarii munere fungendo P. Brameyer ad S. Clementem Mariam prope accessit.

E quattuor reliquis vitae annis duos Montisvidei degit, duos Saltae. Montisvidei post paucos praeparationis dies senex annorum 72 illis praelatis exercitia spiritualia sex dierum tradidit, qui paulo ante tribus dioecesisibus rei publicae uruguayanae a S. Sede praefecti mox una episcopi erant consecrandi. Saltae autem per biennium diuturno morbo sustentando ad mortem se praeparavit.

Virtutes P. Brameyer cum omnes coluit status religiosi proprias, tum duas piae se tulit insignes, pietatem in Congregationem et caritatem erga proximum. Summa veneratione semper eum audivimus de S. P. N. Alphonso loquentem. Vitam, virtutes, res gestas, adiuncta explorata habuit non solum trium Sanctorum nostrorum, sed etiam Servorum Dei, sodalium insignium, multorum denique, quorum nos vix umquam nomina audiveramus. Provinciarum et domorum si quis sive fundationem sive statum praesentem sive labores apostolicos volebat cognoscere, ad P. Philippum velut ad chronica viva se conferebat. Quid, quod ante tabulam photographicam invenatus germanici cum aliis Patribus consistens puerorum, quorum faciem numquam viderat, nomina, aetates, oppida patria, classes scholares e memoria expeditius prodidit quam Patres, qui ipsos pueros in Germania noverant!

Caritatem P. Brameyer sinceram et teneram et constantem experti sunt, quotquot eo vel superiore vel comite vel confessario sunt usi. Vix eum audires ceteris obtrectantem, quamquam recto iudicio res hominesque perpendere solitus est. Comitate sua recreationibus nostris vitam hilaritatemque addidit. Ubi P. Philippus, ibi nulla erat tristitia, nulla severitas; iocis suis innocuis omnes secum auferebat. Rector benevolus saepissime subditis inopinato parva quidem, sed optatissima obtulit beneficia, eorum loco ultimam dixit missam, ad mensam legit, vel alio modo animum recreavit. Ad pauperum miseriam sublevandam eleemosynas vel ipse larga dedit manu, vel a superioribus sancta importunitate postulavit.

Nunc mercede laborum recepta eum aeternis caeli gaudiis frui confidimus. R. i. p!

---